

fidelitatis «ecclesie» sunt astrici. Preterea: de¹⁹⁾ necessitate salutis est credere illud, quod determinavit ecclesia tamquam pertinens ad fidem, Extra. de hereticis. «Ad abolendam»²⁰⁾, ubi omnes excommunicantur, qui de credibilibus aliter credunt quam sacrosancta^{h)} ecclesia romana predicat et observat¹⁹⁾. Sed²¹⁾ Bonifatius VIII in decretali, que incipit *Unam sanctam ecclesiam*²²⁾, dicit, quod omni humane creature subesse pape in temporalibus est de necessitate salutis. Et Filipo regi Franchorum scripsit dicens²³⁾: «Filii, te scire volumus, quod in temporalibus et spiritualibus nobis subes. Contrarium asserentes hereticos reputamus»²¹⁾. Ex hoc clare ostenditur quod quicumque dicit, quod imperator non est sub papa vel quod papa non sit dominus temporalis et spiritualis, quod est hereticus et excommunicatus. Ubi est sciendum quod²⁴⁾ iurisdictio imperialis sive temporalis est in summo pontifice et ab ipso et sub ipso simpliciter et totaliter et dirrecte²⁴⁾, sed non²⁵⁾ pertinet ad ecclesiam immediata executio. Verbi gratia archiepiscopus colloniensis habet utrumque gladium, qui tamen ponit balivum suum in causis sanguinis, de quibus non vult se intromittere²⁵⁾; atamen ipse archiepiscopus est super balivum suum. Et sic imperator sive quicumque princeps, qui per prelatos ecclesie summi pontificis vicarios coronantur et inunguntur; ipsorum dominia rectificantur et approbantur et sic iusta redduntur; quodsi per papam requirantur de spirituali homagio, non excusarentur, nisi prestarent.

cap. 110 De solutionibus ad argumenta¹⁾.

Solvere nunc oportet ad argumenta. Ad primum ergo est dicendum quod aliqua sunt alicuius persone de iure, que non possidentur per ipsum de facto, que, cum restituuntur, non donantur; et sic est in proposito, quia Constantinus existens infidelis imperium, quod erat pape de iure divino, usurpabat et factus christianus restituit ecclesie; ergo non donavit. Ad secundum est dicendum quod sepe fit, ut statuatur per legem imperatoris, que sunt de iure divino, sicut multa pertinentia ad articulos fidei et sacramenta ecclesie posita sunt in iure positivo, ad que credenda obligamur ex iure divino; et sic est in proposito, quia ecclesia romana est a deo^{a)} preposita cunctis ecclesiis, dicente Ysaya propheta²⁾: «Sublimen humiliabit et conculcabit eam pes pauperis, gressus^{b)} egenorum.» Thomas in glosa³⁾: Sublimem, id est Romam, conculcabit^{b)}; gressus egenorum, id est apostolorum Petri et Pauli. Et Gelasius papa dicit⁴⁾: «Ecclesia romana ceteris ecclesiis nulla humana institutione sed evangelica voce prelata est, que dixit: «Tu es Petrus et super hanc petram h edificabo ecclesiam meam.» Ad tertium est dicendum quod terra feudaliter transit cum onere suo. Unde quando aliquis princeps donat ecclesie aliquam posses-

h) mater add. B

¹⁹⁾ de — observat vgl. *Petrus de Palude, Tract. de pot. papae* 202, 29—34. ²⁰⁾ X. 5. 7. 9. ²¹⁾ Sed — reputamus vgl. *Petrus de Palude, Tract.* 203, 3—14. ²²⁾ *Extrav. Comm.* 1. 8. 1. ²³⁾ S. o. cap. 68 *Anm.* 4. ²⁴⁾ quod — dirrecte vgl. *Petrus de Palude, Tract.* 204, 3—5. ²⁵⁾ non — intromittere vgl. *ebd.* 213, 12—15.

cap. 110 a) a deo est tr. W b) gressus — conculcabit om. B

¹⁾ Die erste Hälfte des Kapitels wird wiederholt in CM cap. 571—573. Die Argumente 1—8 sind größtenteils Exzerpte aus Johannes Regina von Neapel, Quaestio 39 S. 338—340 Arg. I—IX. ²⁾ Is. 26, 5 f. ³⁾ Vgl. Thomas von Aquin, In Isaiam exp. (ed. Paris. Bd. 18, 1876, S. 782); Sublimem, id est Romam findet sich nicht bei Thomas zur Stelle. ⁴⁾ Vgl. D. 21 c. 3.